

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 48.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## §. 48.

Dubitatum est, num duo testes ad protestationem cambialem notarialem necessarii habendi sunt? Negant plurimi, legibus et consuetudinibus particularibus innixi, quae saepenumero solum notarium absque ullis testibus vel etiam eundem uno saltem teste ipsi associato, ad protestationem cambialem legitimam sufficere perhibent \*); quorum valori equidem nihil detraham, quamdiu de juribus istis particularibus solummodo sermo instituitur, cum omnia, quae circa formam instrumenti occurrunt, ex legibus loci, ubi confectum est, dijudicanda esse inter omnes fere convenit \*\*). Talia vero jura particularia quando probare nequis, non video, quomodo praescriptam in legibus imperii praesentiam testium in ullo instrumento notariali ex juris communis praeceptis exulare posse

\*) Habes harum et aliarum legum, quae e. g. duos notarios vel duos testes absque notario etc. postulant, exempla, omnia tamen exotica, in SIEGELIANO corpore P. I. pag. 550. 455. 555. et alibi. In casu deficientis notarii jura anglica permittunt, ut protestationis instrumentum a quodam, qui bona immobilia in loco confectionis possideat, in praesentia duorum testium habilium conficiatur, BLACKSTONE'S commentaries on the Laws of England, Book II, chap. 30, ed. II. (Lond. 1791.) T II. pag. 469. Notarium absque testibus sufficere statuit *allg. preuss. Landr.* P. II. §. 1056. Memorabilis lex *Francofurti ad Mönum* occurrit, ubi quidem certi Notarii ad negotia cambialia *jurejurando* obstricti (*Wechselnotarien*) constituti sunt, ad quorum protestationes non adhibentur testes; notarius vero quisque *non cambialis* ad protestationem conficiendam testes adsciscere tenetur. *Frankfurt. W. O.* §. 2. et 17. — in UHL. cont. I. pag. 74. et 78. SPAN *Frankfurt. Wechselrecht.* §. 71. pag. 60. RICCI *exercitatt. camb.* Ex. 10. Sect. 5. §. 2. et 39.

\*\*) SEGER. *diss. de vi legum in territorio alieno.* (Lipf. 1777.) pag. 6. sqq. GLÜCK *Erläut. der Pand. Th. I. S.* 277. HOMMEL, *rhapl. quaest. obs.* 409. PÜTTMANN *WR.* §. 112.



posse credas. Suffragantur etiam huic meae sententiae plures jurisconsulti. \*)

§. 49.

Praesentiam protestantis necessariam esse non duco \*\*), cum notarius aperte ex ejus mandato agat.

§. 50.

Si vero specialia ad protestationem cambialem notarialem requirenda indagare velis, ista in contentis necessariis quaeras necesse est. Nempe eandem omnia continere oportet, ad quorum probationem ista indigere possis; nimirum cambii exemplum accurate descriptum cum omnibus eidem inscriptis indossamentis, ut tum de instrumenti cambialis identitate, tum quae ejus tempore protestationis fuerit conditio, liquide constet; porro omnem protestationis causam, originem et circumstantias, id est, requisitionem protestantis, nomen ejus, contra quem protestandum est, quaestionem ad hunc circa factum ab eodem perpetrandum directam, responsum ejusdem plenam junctis rationibus, siquidem tales attulerit, omnia haec addita temporis et loci mentione; quibus omnibus denique protestatio requirentis de conservando suo circa sortem, usuras et impensas jure jungenda est \*\*\*).

F 2

§. 51.

\*) PÜTTMANN, l. c. *Car. Gotel. KNORRE in rechtl. Abhandl. und Gutachten* Abb. II. §. 1. not. 1. pag. 29. Favent huic sententiae etiam plures leges exoticae; e. g. *Middelburg*, statut. de anno 1736. art. 5. — in UHL. cont. III. pag. 101.

\*\*\*) uti PÜTTMANN, §. 111.

\*\*\*)) cf. e. g. de protestationis requisitis *Allg. preuss. LR. P. II.* §. 1039. sqq., BECK, l. c., et alios.

